



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consensus Veteris Et Moderni Papatus

Reck, Johann von der

Monasterii Westphaliæ, 1722

IV. De Apostolicis Constitutionibus & Traditionibus, & quod eædem, sint etiam regula fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68472)

S. Augustinus l. 2. c. 51. contra literas Petilian. Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet? quare appellas Cathedram pestilentia, Cathedram Apostolicam?

Item Epist. 165. ad Generosum tom. 2. Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincunt eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus &c.

IV.

De Apostolicis Constitutionibus
& Traditionibus, & quod eadem
sint etiam regula fidei.

S. Epiphanius heresi 61. Oportet autem & Traditione uti: non enim omnia à Scriptura accipi possunt. Quapropter

propter aliqua in scripturis, aliqua in Traditione Sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit S. Apostolus: sicut tradidi vobis. *Et alibi.* Sic doceo, & sic tradidi in Ecclesiis.

S. Basilii lib. de Spiritu Sancto. c. 27.

Dogmata quæ in Ecclesia servantur ac prædicantur, partim ex conscripta Doctrina habemus, partim ex Apostolorum Traditione ad nos delata in mysterio recepimus. Quæ utraque eandem ad pietatem vim habent. Et nemo his contradicit, qui vel modicam saltem Ecclesiasticorum jurium experientiam habet. Si enim aggrederer, non scripto proditas consuetudines, velut non magnam vim habentes rejicere; imprudentes etiam ipsis principalibus Evangelii partibus damnum inferemus. Imò potius ipsam Evangelii prædicationem ad nudum nomen contraheremus.

S. Chrysostomus hom. 4. in illa Verba 2 ad Thessalon. c. 2. Itaque Fratres state & tenete Traditiones, *ait*: hinc est
per-

perspicuum, quòd non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis. Similiter autem illa, & hæc sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionem censeamus fide dignam. Est traditio, nihil quære amplius.

S. Irenæus lib. 3. c. 4. Quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterum Traditionem diligenter custodientes.

S. Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas c. 7. Quam consuetudinem, *inquit*, credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posterorum: & tamen quia

custo-

custodiuntur per universam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.

Item de Baptismo contra Donatistas l. 5. c. 23. Sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.

V.

De Transubstantiatione, sive de conversione Panis & Vini in Corpus & sanguinem Christi; & de adoratione venerabilis Sacramenti.

S. Justinus Martyr Apologia 2. ad Antoninum Imperat. Quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Servator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causâ habuit: ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, Incarnati illius Jesu Carnem & Sanguinem esse docti sumus.